

PRÆFATIO AD LECTOREM.



TRICENUM jam annorum curriculum transigitur, quando Opus, quod *Ars Magna Lucis & Umbra* inscribitur (quo, quaecunque ad Visus visibiliúmque doctrinam & scientiam quovis modo revocari poterant, multiplici rerum novarum argumento tradebantur) Literariæ Reipublicæ exhibebam, quod cum non exiguo plausu à Literario Orbe exceptum fuisse intellexissem, non secus:

- - - - - *ac unda truditur undâ*
Sic variè exagitant tumidas molimina mentes.

incredibilis fanè animo peregrinis ideis prægnanti uti novorum semper, novorúmque technasmatum producendorum Cupido, ita quoque Acusticam facultatem Opticæ fidæ Sociæ pari argumentorum varietate & opulentiâ conjungendi, ardentissimum infedit desiderium; siquidem parrallelâ quadam comparatione unius cum altera constitutâ, certè tantam harum ad invicem affinitatem inveni, ut lucem nihil aliud, quàm consono-dissonum quiddam oculis; auribus verò lucidumbre quidpiam esse haud in consentaneâ combinatione concluderim, atque adeò ex harum miscellâ, quicquid in Mundo admiratione dignum, quodque mortalium